PHYSICI
FRANCISCI FRAPOLLI

Mediolanensis Nosocomii majoris
Medici

ANIMADVERSIONES

In Morbum, vulgo *Pelagram*.

EXCELLENTISSIMO VIRO
JULIO POMPEJO MARCHIONI LITTÆ
VICECOMITI ARESIO
MAGNATI HISPANIARUM, EQUITI CLAVIS AUREÆ
COMITI VALLIS LUMELLINÆ
PLEBIS BREBBIÆ
FRACCIÆ SUPERIORIS VARISII
REGIO FEUDETARIO VALLIS CUVIÆ
PLEBIS ARCISATI
ET REGIONUM VICECOMITALIUM
INTIMO CUBICULARIO
A SECRETIORIBUS CONSILIIS REGIO BELLICO
COMMISSARIO GENERALI
LONGOBARDIÆ AUSTRIACÆ &c. &c. &c.

EXCELLENTIA.

FRANCISCUS FRAPOLLI.

LUcubratiunculam hanc meam Tibi inscribo MARCHIO EXCELLENTISSIME. Quo vero nomine id tandem præsto? Quantuscunque ego sum totum me Tibi debeo. Hoc Tumet nosti jampridem, cum gratia, favore Tuo, totque me beneficiis cumulasti: Idque fortasse haud erat satis pervulgatum, Teque silente, mei porro erat muneris propalam prædicare. Si minus læto, quam offero libens, lumine exceperis, ipse tamen

meme, quod deceret, præstasse gratulabor mihi: At summa comitas, tuaque singularis benevolentia alacri me esse animo, spemque facit eam Tibi acceptam fore. Alia quoque accedit ratio, qua Tibi exhibenda hæc quammaxime: Suum quippe Fautorem, Vindicem, amantissimumque veluti Parentem Te pauperes suspiciunt. Quem enimvero id lateat? Atqui maximo isthæc pauperum infortunio, amissæ scilicet eorum consulit valetudini, idque morbi quodam genere, eo graviori, frequentiorique, quo minus cognito. Si Tibi horum commoda, salusque cordi est potissime, tua illi adprobatione auctoritatem adde, ac decus. Clarissimo hocce munita præsidio in lucem prodibit fidentius, seseque Judicum vel severiorum oculis subjicere minime verebitur.

Dabam Mediolani die XX. Septembris MDCCLXXI.

ANIMADVERSIONES
In Morbum, vulgo *Pelagram*.


ÆVit inter noſtræ hujuſce Inſubriæ Agricolas Morbus quidam, qui ſymptomatum haud raro læthalium varietate, novitateque omnium utique, ſed præſertim Phyſicorum animos, ac ſtudia ad ſedulam, penitioremque ſui diſquiſitionem ſummopere excitat, inflammatque, ut præſentiora, quibus huic queat occurri, remedia dignoſcantur, Gentiſque agrorum fertilitati, uberiori annonæ, bonoque publico aſſidue intentæ pretioſam tutari liceat incolumitatem.

Vere adventante cum ad arvorum cultum dies integras vehementius incumbunt agreſtes viri & mulieres, pueri puellæque, ac quiſque ſuis, quæ decent cujuſque ætatem & vires, gra-

vibus, levibusve muniis operam impertitur, accidit persæpe, ut cutis eorum color in rubrum subito mutetur, tanquam erysipelatosum, maculæque aliquando roseæ, (quas *Rosas* vocant Rustici) in Epidermide appareant, parvulaque insuper coloris varii tubercula crebro eleventur; pellis inde exsiccatur, continentes tuniculæ dissiliunt, corrosa cutis in squamulas decidit albas veluti furfuraceas; manus denique, pedes, pectus, raro etiam facies, cæteræque Corporis Soli expositæ partes turpiter fœdantur. Hæc porro, mira sane externarum affectionum series, quam leviter hactenus attigimus, morbum illum constituit, quem vulgo *Pelagram* vocant. Sed, quo tandem devenit hujusmodi morbus? Elapso æstivo tempore omnia in pristinum restituuntur; redit cuti naturalis constitutio, & ni pejora accidant,

dant,

dant, *Pelagram* negligunt Agricolæ, neque quidquam præterea patiuntur mali. Atqui revera, & ſæpe ſæpius inſævit morbus, tum maxime cum non adhuc deſquamatur cutis, ſed rugoſa, imo calloſa fit, rimiſque referta. Tunc enim Capite prius laborare incipiunt Ægri, timorem, mœroremque, vigilias, vertigineſque, mentis oblivionem, ne dicam, fatuitatem, hypocondriaca deliria, alvi fluxum, & aliquando Maniam pati; Vires tunc corporis deficere, crurum pracipue, femorumque, ac motum harum partium fere prorſus amittere, ſummopere emaciari, dyarhæa colliquativa corripi remediis omnibus contumaciſſima, luridaque tandem conſumptos macie extremam Patientes obire diem. En brevis hiſtoria morbi obſervationibus innixa.

De hoc ego acturus inquiram 1.° an

Morbus novus ſit *Pelagra?* 2.° Num contagioſus? 3.° Quænam cauſſa ſit? 4.° An iidem ſemper effectus. 5.° Num Hygiene attendenda. 6.° Quæ tandem curatio? Atque ita aliquo ordine progredietur tractatio, reſque ſuas in partes ritè diſtincta magis eluceſcat.

An Morbus novus ſit *Pelagra?*

Pelagra, ſi nomen tantum ſpectetur, morbus revera novus cenſebitur; nemo enim, quem ipſe ſciam, uſque adhuc de hac cutis affectione peculiariter ſcripſit, neque graphica reperitur deſcriptio apud Veteres, quorum ſolertia in morbis cutaneis obſervandis, diſtinguendiſque ſummopere admiranda. Analoga ſunt huic morbo nonnulla Impetiginis ſymptomata, cutis ſcilicet durities, ſiccitas, aſperitas, cæteraque hujuſcemodi, quæ & in *Pelagra* obſervantur, & a Sennerto præcipue deſcribuntur *pract. lib.* 5. *part.* 1. *cap.* 30. *de Impetig.*

petig. fol. 39. Sed nequit ille Morbus huic rectè æquiparari, uti cuilibet mature omnia perpendenti luce meridiana clarius apparebit; neque mea hic interest rem ulterius ad trutinam redigere, cum utriusque ægritudinis differentiæ Physicis fere omnibus notæ sint. Quid ergo? An morbus revera novus? Haud facile assentior; cum præsertim Ordinationem quamdam fortuito invenerim a Venerando Capitulo Nosocomii majoris Mediolani editam Anno 1578. die 6. Martii, quæ sic habet. *Quinto. Che quelli, che saranno Infermi di Pellarella, Croste, Gomme, e Piaghe, siano accettati, avendo però il Mandato sottoscritto utsupra.* Decernant nunc Eruditi, an terminus ille *Pellarella Pelagram* hanc nostram designet necne. Si affirmativè sentiant, non adeò recens erit morbi epoca; si contra, iterum ambigo. Quam-

vis etenim clinici Scriptores de hac cutis ægritudine nundum egerint præcise, non inde tamen erui potest indubie haud prius istiusmodi extitisse morbum. Num impossibile, veteres Medicinæ Patres eadem symptomata, quæ nunc *Pelagræ* assignant Neoterici, aliis retulisse Morbis, & Cutis potissimum? Porro cum eadem fere semper extiterit caussa (uti inferius ostendam), subjecta eadem, cur non & iidem effectus? Sed de hac re satis superque, irritam enim quæstionem duco.

Num contagiosus?

Interea neminem arbitror somniaturum *Pelagram* morbum esse contagiosum, contrarium namque patet evidentissime. Deffinitur Contagium *Vis illa, vel Activitas, qua affectus quispiam residens in uno Corpore sui similem excitat in alio, & quidem vel immediatè, & corporaliter per contactum, vel mediate, & ad di-*

diſtans. *Thom. Willis de Febr. cap.* 12. Qua poſita Contagii deffinitione; invicta edocemur experientia, *Pelagram* quamvis confirmatam non ſolum non ad diſtans, ſed neque per contactum communicari: conſtat enim, tot *Pelagroſos* in ruſticis familiis degere, quin ulla unquam propagetur labes; conſtat plurimas haberi Uxores inveterato morbo vexatas, ſano interim Marito, & econtra; conſtat denique ex repetita a me toties obſervatione in Noſocomio, Ægrotas ſcilicet confirmata *Pelagra* laborantes, in eodem cum ſanis lectulo ad plures dies cubaſſe, æſtivo ut plurimum tempore, nulla inde facta in alias hujuſce Morbi transfuſione. Jure ergo meritoque ſtatuendum *Pelagram* omni carere contagio. Num igitur *Pelagra* morbus epidemicus, aut endemicus? Neutrum videtur. Epidemici quippe morbi di-

cuntur illi, qui in regione qualibet universim grassantur, caussamque tradunt a maligno äeris influxu; Endemici vero, qui sunt alicui regioni peculiares, in eaque communiter serpunt. An Morbus sporadicus? Utique. *Pelagra* enim nec universim grassatur, nec alicui regioni peculiaris est, Agricolasque in nostra hac Insubria hic, & illic indiscriminatim aggreditur, eos nempe, qui dato, continuatoque tempore nimium sese exponunt solaribus radiis, uti quispiam sano judicio vel facile noverit.

Quænam caussa sit?

Sed de hac re quid plura? Inquirenda quippe nunc Morbi caussa, in qua deffinienda nonnulli musitant. Cur, immortales Superi? Nonne satis evidens, & unica caussa Insolatio? Quod si quis contra sentiat, & cibos *Pelagræ* ansam præbere contendat, mihi quæso indicet istiusmodi Sophus. Cur tot Miseri, qui pejo-

pejoribus utuntur cibis *Pelagra* minime corripiantur? Cur Rusticis domi degentibus, eodemque victu utentibus, cibariis scilicet duris, austeris, terrestribus morbus hic non eveniat? Cur caritatis tempore non omnes evadant *Pelagrosi?* Si animi pathemata. Cur Rura tantum, non Oppida, Urbesque *Pelagra* aggreditur. Si denique labores. Fabri ferrarii tota die insudantes Incudi cur non *Pelagrosi?* Cur non æque tot alii Artifices summopere defatigati, quorum numerus pene infinitus? Idemque omnino affirmandum de tot aliis, quas nonnulli proferunt Morbi hujusce caussis. Sed iterum reponitur, caussas hasce non solas, sed utique Insolationi additas *Pelagram* efficere. Ast quam nova, quamque fallax sit hæc instantia nemo non videt; fallax profecto; in physicis enim multiplicanda non sunt entia sine neces-

ſitate, ne oriatur confuſio; cumque Inſolatio ſufficiat ex ſe ad hanc procreandam ægritudinem, aliæ non ſunt extorquendæ cauſſæ, quæ nundum ex ſe *Pelagram* promunt. Varias Epidermidis alterationes a ſolaribus radiis dependere veteres quoque arbitrati ſunt. Sennertus enim ait in tractatu de Ephelidibus *pract. lib. 5. part. 3. ſect. 1. pag. 76.: Et quidem Ephelidum primum genus eſt notus ille affectus, nigredo ſcilicet illa, quam Germani* Sommerbrandt *appellant, in facie, manibus, & partibus aliis radiis Solis expoſitis ab ardore Solis contractus. Et patiuntur hunc affectum tam Viri, quam Fœminæ, in primis tamen Fœminæ, quæ Cutem teneriorem habent, ac præcipue verno tempore. Cum enim Cutis tempore hyberno calori non ſit ita adſueta, ſi tempore verno ſubito Solis radiis exponatur, quæ antea erat alba, rubeſcere cum nigredine quadam in-*

incipit. Et idem de lentiginibus pag. ead. ſequentia habet. *Erumpunt*, lentigines ſcilicet, *quoque maxime iis in partibus, quæ äeri externo expoſitæ ſunt, facie, collo, manibus, ſuperiore parte thoracis, quia & cuticula a Sole magis aduritur, & äer ambiens vapores illos aduſtos in cute detinet*. Poſſem & alia colligere hujuſcemodi Auctorum cogitata, queis magis magiſque opinio hæc firmaretur, niſi ratione jam conſtare crederem, majores minoreſve cutis affectiones in hoc morbo a remiſſiore, vividioreque tantum Inſolatione eſſe derivandas. Cum enim Sol fervidiores vibrans radios ſubjecta ſibi Agricolarum corpora diu exagitet, acriuſque perturbet, nimium inde rarefiunt collecti per hyemem humores; canalium tunicæ plus æquo diſtenduntur, exhalantes cutis poruli violentius dilatantur, tranſpirabilis materia vi cordis,

vaſorumque impulſu ad ipſos indeſinenter confluit, ut qua exitus patet permixte, & confuſim dimanet. Quînam igitur poterit tanta hæc eliminari humorum copia? Nonne extremitates ultimorum, minimorumque tubulorum enervari? Nonne aliquam copioſiſſimæ tranſpirationis partem in hiſce ſtagnare? Nonne cætera neceſſe eſt conſequi ſymptomata ſuperius indicata initiatæ *Pelagræ?* Quod ſi continuata Solis actione, aut peculiari Cutis diſpoſitione, exhalantes poruli omnino oblitterentur, cutiſque rugoſa, calloſaque fiat, nulla tunc in affectis partibus tranſpiratio; hinc tot confirmatæ ægritudinis accidentia. Porro majores, minoreſve ſunt *Pelagræ* effectus, juxta majorem, minoremve cutis alterationem, uti docet experientia; concludendum ergo unam eſſe, eandemque morbi cauſſam, ſcilicet In-

ſola-

ſolationem. Neque ego is ſum, qui ignorem, cæteras allatas cauſſas poſſe *Pelagram* augere, diminuere, varieque mutare. Aſt quid inde? Nonne & idem evenit in omnibus fermè ægritudinibus? Bilis e. g. tertianam ſimplicem in illo mitem, in hoc perniciofam febrem facit; non erit ideo bilis vera morbi cauſſa. Ecquis ſanæ mentis ita ratiocinabitur? Ex morbo enim morbi fiunt, & ſæpe una cauſſa varios producit effectus, juxta diverſas circumſtantias.

An iidem ſemper effectus?

Pelagræ ſymptomata breviter indicavi ſuperius in Morbi hiſtoria; utque clarius res procedat eadem nunc repetam meliori ordine morbum dividendo in propria ſtadia, in *initiatum* ſcilicet, *confirmatum*, *deſperatumque*. Signa initiatæ ægritudinis ſunt; prægreſſa inſolatio tempore verno præcipue, color epidermidis in rubrum nunc, nunc aliter

ter mutatus, maxime manuum, pedum, colli, faciei, cæterarumque partium, quæ magis Soli fuere expoſitæ, ſubſequens pruritus, & tandem cutis decidentia in ſquamulas veluti furfuraceas. Confirmatum morbum ſignificant præcedentia ſymptomata initiatæ *Pelagræ*, cutis rugoſa, calloſa, rimiſque referta, nulla ut plurimum febris, timor, mœror, vigiliæ, mentis oblivio, ne dicam, fatuitas, hypocondriaca deliria, alvi fluxus, mania, virium defectus, & aliquando omnimoda fere motus ceſſatio crurum maxime, femorumque. *Deſperatum* vero indicant ſigna præegreſſa confirmatæ ægritudinis, affectiones comatoſæ, febris, diarhæa colliquativa contumax, ſumma corporis macies, animi deliquium, quod ſequitur Mors. Omnes hi *Pelagræ* effectus conſtanter obſervantur, quibus & varia adduntur pecu-

cu-

culiaria morborum ſymptomata, juxta diverſas ægritudinum complicationes, ægrorumque diſpoſitiones. Peſſimum eſt, ſi morbus hic Cachexiæ, Cachochimiæ, Scorbuto, Phthyſi, aut Hydropi aſſocietur. Hydrops maxime & *Pelagra* læthalem efficiunt morbum; remedia quippe, quæ huic proſunt, alteri nocent ægritudini. Fœminam tantum optimo præditam temperamento, ſanguineo ſcilicet, confirmata *Pelagra* & Anaſarca laborantem, præter hanc neminem adhuc convaluiſſe memini; neglecta vero *Pelagræ* cura evaſit ex hydrope. Qui laxiorem habent fibrarum contextum, & qui atro-biliari temperamento donantur difficilius patiuntur malum. Pulſus parvi, debiles, frequentes in fine morbi exitiales. Facilis in *Pelagra* tranſitus ex delirio ad ſoporem, & viceverſa, uti ſæpius animadverti.

Cur

Cur interim tot capitis mala? An ex Solis actione, quæ magis partem hanc afficiat, alteretque? Num ex peculiari, debilique vasorum cerebri structura? An alteratio cutis nerveis filaminibus constructæ in consensum trahit nervorum sedem? Num transpirabilis materiei ad cerebrum facilior refluxus? Videntur designare frequentes Corizæ, doloresque Capitis ex minimo transpirationis defectu. Cur alvi fluxus? Ex lege humorum Corporis, tendentiæ scilicet a circumferentia ad centrum, & viceversa, juxta tritum illud adagium. *Cutis densitas, alvi laxitas*, & econtra. Cur in aliquibus morbus cito fit confirmatus, serius in aliis, aut nunquam? Ex diversis corporum dispositionibus, & Cutis maxime. Cur denique tot alia Vitæ incommoda ex parva adeo Epidermidis mutatione? Hæc omnia si quis

cu-

curiosius velit perscrutari, proprio marte interpretetur, adeatque in primis *Sanctorium*, ex quo innumeros impeditæ transpirationis morbos ediscet.

Hisce strictim præmissis operæ pretium est nonnulla ad curationem spectantia attingere, quæ duplex assignari potest; prima scilicet, & tutior ea, quæ methodum designet morbum hunc præcavendi; altera vero, quæ indicationes, & remedia suggerat, quibus *Pelagram* jam factam temperare, aut prorsus tollere Medicus valeat. Quod ad primam attinet, summopere doleo quamplurima, quæ valde proficua forent præcepta, inutilia prorsus cessura miseris Agricolis, qui comparandi Victus necessitate coacti, vitam interim ipsam pretiosam utique, laboriosam vero maxime periculis omnibus inscii, sponteque tradunt. Atque utinam mea me fal-

An Hygiene attendenda?

falleret opinio, dum isthæc autumo. Præcipuum quippe, tutissimumque monitum esset, quod Rustici omnes imposterum tempore vernali potissimum solares radios effugerent. Quis interim arva colet? Aliæ porro assignari possunt cautiones, quæ morbum si non omnino arceant, mitiorem quidem efficiant. Galerum gestiant Agricolæ palearem, valde latum, quem utique Rusticulæ gestiunt ad venustatem, crura tegant quotidie caligis, manus vero Chirotecis, (ridiculum sane consilium Sennerti), cæterasque corporis partes, quoad fieri potest, a Sole defendant. Abluant sese sæpe sæpius Avicularum more, & si non omne corpus, extremitates saltem, quæso abluant; Balneum siquidem præsentissimum est remedium ad hanc removendam ægritudinem; facile enim in nostra hac Insubria reperiuntur aquæ.

Mo-

Monendi denique ſunt Ruſtici omnes de exitiali morbo, quem non metuunt ex ignorantia. Graviſſimum hoc charitatis officium Ruri exiſtentibus Medicis quam maxime incumbit. Publicum vero, latum, valdeque frequens ſit monitum dura Agricolarum cerebra excitans. Hæc ſi religioſe obſerventur ſpem faciunt Ruſticorum corpora ſervandi ab atrociori morbo, quod faxit Deus.

Porro nunc deveniendum ad curationem *Pelagræ* jam factæ, de qua breviter diſſeram, eaque tantum adnotabo, quæ mihi uſque adhuc viſa ſunt hujuſcemodi Ægrotis profuiſſe. Relictis igitur accidentalibus indicationibus, quæ & in hoc morbo, uti & in aliis derivantur a temperamentorum diverſitate, variiſque ægritudinum connubiis, de iis tantummodo agam in præſens, quæ a *Pelagræ* cauſſa, propriiſque ſymptomatibus re- Quæ tandem Curatio?

resultant. In primis vero attendenda denuo sunt morbi stadia, ut recte procedat curatio; initiata namque ægritudo sanatur facillime, difficilius confirmata, desperata nunquam. Nonnulla ulterius, quæ in primo stadio juvant remedia, in secundo nocent, pariterque in tertio. Sit igitur curandus Æger initiata *Pelagra* laborans; quid agendum? Cum maxima omnium, & præcipua sit in hoc morbo intentio Cutis exhalantes porulos aperiendi, ut transpiratio liberior fiat, cumque id dupliciter obtineri possit, Balneo scilicet, & frictionibus extrinsecè, diaphoreticis vero intrinsecus adhibitis; neglectis cæteris omnibus, præstantissimo, tutissimoque remedio disponendus est Ægrotus, Balneo videlicet; idque optime fiet Ventriculum, & Intestina primum expiando, ut si quæ fœcum, humorumque sarcina existat,

blan-

blandis eliminetur Ecoproticis, aut purgante, si opus fuerit, medicamine, juxta diversas circumstantias temperiei, ætatis, victus, & similium, quæ semper sunt attendenda; cæterorum quoque Abdominis viscerum explorandus est status, ut si quæ adsint obstructiones, aperientibus, detersivis, aliisque hujuscemodi auferantur. Phlebotomia plus minusve celebranda, urgente plethora, summo tamen consilio, uti sæpius didici; delirium namque subsequens observavi, inopinatum equidem, insuetumque symptoma in hoc morbi statu. Potiones inde diluentes *Pelagrosus* hauriat ad aliquot dies, desumptas præcipue a sero lactis herbis refrigerantibus, & antiscorbuticis alterati: lætusque tandem Balneum ingrediatur ad hebdomadas, juxta Medici placitum, fretus spei recuperandæ valetudinis. Hac curationis

me-

methodo quamplures ſanatos vidi.

In ſecundo *Pelagræ* ſtatu præparandus eſt Æger ad Balneum diverſimode ac in primo. Si quid per alvum educere oporteat, purgantia blanda ſeligantur, quibus corroborantia addi debent v. g. pill. de ſuccin. Crat., maſtic., & ſimilia. In hoc quippe morbi ſtadio viſcerum fibræ laxari quodammodo incipiunt, faciliſque mutatio in deſperatam ægritudinem. Id ſerio animadvertant Phyſici, neque enim allucinari me arbitror. Contra vero, ſi adſit Diarrhæa, & ipſa caute cohibenda remediis præcipue a vegetabilibus deſumptis, uti ſunt tamarind., ipecuacan., ſuc. limon., ſal abſynth., mixt. ſtomat. River., aliaque iſtiuſmodi. Injiciantur in alvum Clyſt. chalibeati. Pro potu, ſi abſit ſitis, ſobrie utatur Æger meraciori vino; merum enim languentes Agricolas

valde

valde exhilarat ; ſi vero Patiens ſitiat, ſerum lactis bibat tamarindatum, emulſion. nitrat., aut aq. limon. Simpliciter diluentia in confirmata *Pelagra* omnino ſunt proſcribenda, ne viſcera, quæ confirmari debent, nimium enerventur, Ægro in deterius ruente. Mixturæ intus cardiacæ, corroborantes, & vulgo cephalicæ propinandæ. In plethoricis ſanguis aliquando detrahendus, a Jugularibus etiam in forti mania. Temporibus applicatæ Hirudines mira præſtant. Hiſce ingenioſe peractis, Balneo tradatur Æger, habito reſpectu virium, quæ aliquoties deficiunt adeo, ut parcè nimis, aut eodem prorſus uti nequeat Medicus. Supplent tunc huic infortunio univerſales Corporis frictiones, frequentes affectarum partium ablutiones, aut fomenta ex Decoctis emollientibus, ſeroque lactis parata ; remediis interea

cor-

corroborantibus intrinſecus exhibitis.

Pervicax Morbus eſt confirmata *Pelagra;* hinc ſæpiſſimè, abſoluto univerſali Corporis Balneo, plura adhuc remanent peragenda, ut vires Ægro reſtituantur, Capitiſque mala deleantur omnino. Huic ſcopo conducunt reiteratæ Frictiones Pannis laneis, aſperis, extremitatum præcipuè Corporis, quæ magis ut plurimum afficiuntur, Cucurbitulæ, Hirudines temporibus affixæ, Veſcicantia, quæ optimo adhibentur ſucceſſu ad excitandos maximè Ægrotos, qui laxiori donantur Fibra; Veſcicatorium Occipiti applicatum ſummopere juvat: Intus Aqua Thædæ ad Uncias octo circiter epota bis in die, Vinum utique, & ſimilia proſunt. Chalibeata porro proficua fore cenſeo, ſed de his me nundum uſque adhuc experimentum feciſſe, ingenuè fateor. Cæte-

te-

terum, ut paucis complectar omnia, quæ ad *Pelagræ* curationem pertinent, breviter hæc ſubjiciam; Balneum ſcilicet primam eſſe medelam in hoc Morbo, hac tantum lege, ut in initiato (præmiſſis præmittendis, uti ſuperius adnotavi) intus diluentia, in confirmato corroborantia præbeantur remedia. Diæta in hac Ægritudine ſit ex vegetabilibus farinoſis, exceptis Carnibus. Qua vero ratione hujuſcemodi Ægrotantes ipſe curaverim, quas inferius addam, Hiſtoriæ declarabunt. De deſperata *Pelagra* verba facere ſupervacaneum eſſet; in hoc enim Morbi ſtadio ſolidorum nulla eſt reactio, Tabeſque cadaverica fermè Corpus occupat, & vix Cardiaca Vitam aliquantiſper ſuſtinent, ut pluries adnotavi.

Hæc ſunt, quæ ex multiplici obſervatione, ſedulaque Praxi colligere potui,

tui, quæque ex animo ſcripſi, non qui ingenio nimium tribuerem meo, ſed ut ea probanda, vel emendanda ſapientiſſimis in hac Scientia Viris exhiberem, quorum auctoritatem, graviſſimumque judicium ſummopere vereor, ac colo.

HISTORIA PRIMA.

Confirmata Pelagræ.

MArtha Bonſanti loci Prignanæ, annorum triginta circiter, quatuor feliciter ennixa Fœtus, temperamenti ſanguineo-lymphatici, habitus Corporis mediocris, tribus abhinc annis, neglecta jampridem initiata *Pelagra*, incidit in confirmatum Morbum. Ægram hanc curandam adivi in Noſocomio die prima Auguſti præſentis anni. Explorata imi Ventris Viſcera inveni ſana, Pulſus erat valdè debilis, ſed nulla Febris, deerat quo-

quoque Alvi fluxus. Vertigines, aliaque Capitis mala jamdiù patiebatur, Cutisque in dorso Manuum præcipuè, & Pedum callosa; attonita tunc videbatur Mulier, non parum emaciata, viribusque destituta adeò, ut Pedibus minime consisteret. Oris amaritiem, summamque inappetentiam accusabat, linguaque albam superficiem præseferebat. Leni igitur Ecoprotico Ægrotam purgavi ex Flor. Cass., & Pill. Succin. Crat. desumpto. Post ad triduum omni mane Lactis Serum tartarizatum exhibui; mixturas deinde corroborantes ex Aq. artemis., melifs., tot. citr. ana. unc. ij., Confect. alcherm. ʒ. j., Liquor. C. C. succin. scrupsem. per diem assumendas præscripsi. Hisce peractis, Balneo *Pelagrosam* tradidi, sed malo omine, Balneas etenim tollerare non potuit Ægra virium defectu. Quamobrem extrinsecè universales Corporis fri-

frictiones , extremitatum maximè, Fomenta affectarum partium ex Decoct. emollient., aliquando Cucurbitulas, semel Hirudines temporibus admovere jussi; intùs verò Aquam Thædæ ad Uncias octo bis quotidiè hauriendam præbui usque ad novum Monitum. Aqua Thædæ usa est Patiens ad duodecim dies, miro quidem juvamine, vires enim summoperè recuperavit. Cum vero hisce Remediis Alvus, plusquam par est, styptica esset, Ecoproticum denuo propinavi die vigesimaquinta ejusdem mensis, idemque vigesimaseptima reiteravi prospero eventu, continuatis interim Frictionibus. Post hæc, convalescente Ægra, lautiorem Diætam, meraciusque Vinum ad unc. VI. quotidiè exhibui, exceptis Carnibus, quæ nunquam conveniunt in Morbis impeditæ Transpirationis. Interea cœpit Mulier hilaris esse, Corpus enutriri,

triri, ſanuſque Color in facie efflorere, e Lectulo ſurgere, ambulare, in omnibus bene ſe habere, lætaque tandem Domum petiit die undecima Septembris.

HISTORIA SECUNDA.


EX ordine Venerandi, vigilantiſſimique Capituli Noſocomii majoris mihi tradita eſt, ut Ei operam præſtarem, Franciſca Cajellina loci Vergiati, die tertia Auguſti currentis anni. Fœmina hæc ætatis circiter annorum quinquaginta, temperamenti atro-bilioſi, validi, carnoſique Corporis habitus, ſpreta jamdiù initiata *Pelagra* devenit hoc anno in confirmatam Ægritudinem. Eadem fere enarravit Patiens Morbi ſymptomata, ac Martha Bonfanti; Pulſus tantum tardus erat, nec adeo debilis, vireſque in reliquo Corpore conſtantiores, in Extremitatibus nullæ. Purgavi & hanc conſueto Medi-

ca-

camine. Poſt ad aliquot dies ſumendum exhibui decoct. cæphalic. cum Tinct. ſuccin., dein ingreſſa eſt Balneum Ægra ad dies quindecim. Hiſce confectis, mæſtam adhùc Fœminam eſſe, nec ſatis viribus pollere obſervavi. Quamobrem Frictiones univerſales, ſæpe Cucurbitulas adhiberi, ſemel Hirudines Temporibus admoveri, necnon Veſcicatorium Occipiti applicari præſcripſi, atque ex hoc potiſſimè plurimum juvaminis. Aquam Thædæ ad aliquot dies ſumpſit Ægra, corroborantes dein mixturas; cumque in dies Mulier convaleſceret, leniorem Diætam permiſi, tandemque & iſta abiit incolumis. Pertinacior autem fuit in hac Fœmina morbus ex peſſimo temperamento, uti ſuperiùs adnotavi.

Poſſem præterea hiſtoriam Angiolæ Mariæ Monti ejuſdem loci Vergiati, quæ & ipſa evaſit a confirmata *Pelagra*, aliarum-

rumque hujuſcemodi Ægrotarum referre, niſi inutile prorsùs ducerem diutiùs in hiſce immorari, cum eadem fere methodo omnes curaverim. Valete interim Phyſici, rurales maxime, humiliſque Gentis infortunia mecum conqueriminor.



MEDIOLANI. MDCCLXXI.

Apud Joſeph Galeatium Regium Typographum.
Superiorum permiſſu.